

et hoc frigidissimo cordium humanorum gelu omique contrarietate superata, quasi per antipenitiam amor Christi vehementius exarsit, tonavit, fulguravit, et in similitudinem fulguris coruscantis erupit, *Ezech. 1, 14*. Unde iturus ad passionem, Eucharistia quasi pignus immobilis eternique amoris instituit, iuxta illud, *Joan. xiii, vers. 1*: « Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, usque in finem (tam vite, tum amoris, id est extremo summoque amore) dilexit eos. » Quin et in ipsa cruce pro crucifixoribus ardentissima charitate cum lacrymis oravit; unde multi eorum in Pentecoste audita S. Petri predicatione penituerunt, Christique fidem amplexi baptizati sunt, *Act. ii, 41*. Christi ergo vita in morte fuit extincta, at non charitas: hæc enim mori non potuit, sed in morte viva permansit. Rationem subiungit: « Si dederit homo omnem substantiam (Septuaginta, vitam) domus sue pro dilectione, quasi nihil despiciet eam, » *q. d.* Christus pro charitate Dei et hominum omnia sua profudit, quia charitas est res preliosissima, transcendens et divina, quæ omne pretium tam auri quam laborum et dolorum superat, pro qua omnes opes, omnes vires, omnes sudores, vitæ ipsa expendenda est: nam, ut ait S. Joannes I *Epist. iv, 10*: « Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. »

Alocutus in *Emblem.* pingit amorem robur Jovis infringentem, et totum orbem incendientem: Christus pingit eum nudum humeris, alatum, dextra tenentem piscem, sinistra fasciculum florum, quæ symbola hisce versibus declarat:

Nodus amor videt' ut ridet, placidumque toetor,
Nec faculas, nec que cornua flecat, habet.
Altera sed manuum flores gerit, altera placem,
Sicchet ut terra jure dei, alique mari.
Nodus amor blandis utero artet ocellis,
Non areca, aut nunc ignea tela gerit.
Nec tenere manibus florem, delphinique tractat:
Illo etenim teris, hoc valet ipse mari.

« Charitas (inquit Marsilius Ficinus) numen est amatorum: si quem prehenderit, veluti ex speculo ejusdem faciet flammas radios: mentem illustrat, voluntatem accendit, reflectitque lucem. » Simile subinde est videre in amore mundano et carnali, ut nullis adversis, nullis injuriis etiam amati restinguatur sed potius iis magis accendatur; unde illud vulgo jactatum: « Injuria solvit amorem, » falsum esse queritur amator in *Epigramm.* dicens:

Nobis, quod jactans, injuria solvit amorem,
Nunc, recurvescit sic magis iste furor.

Porro Christus ut sponsus similem a sponsa amorem, imo amoris fortis vires, quibus ab ea redametur exigit: solent enim sponsæ a proci ad adulterium sollicitari vel metu pœnarum, vel propter numerum: utrumque hic sponsus includit, atque fortelem a sponsa amorem requirit et

constantem, ut nullis tormentis, nullis muneribus vel opibus expugnari possit; quare suo exemplo discat Ecclesia et anima pia, ita cor suum et brachium amore Christi obstringere, ut nullis penis, nullis premiis inustum cordi signaculum exuri, eradi, aut deleri sinat, præsertim in persecutione Antichristi, que ut erit illius, sic et acerrima; ad quam proinde superandam, incensa charitate hic Christus suos obarmat. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus et S. Hieronymus, lib. XIV in *Ezech.*, cap. XLVII ubi sic legit, *aque multa non poterunt restinguere charitatem, et flumina non demergent eam.* Audi S. Ambrosium, lib. *De Isaac*, cap. VIII: « Merito Hebræi pueri in fornace ardentis non sentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat. Aqua multa non poterit extinguere charitatem. Caritas adamante fortior, et vinculum indissolubile. Nulla diluvia passionum charitatem excludere possunt, nulla eam acerbissimum flumina inopudare: sicut enim arca in illo mundi diluvio totius orbis spatibus innocua ferebatur, ita et tu adversus omnium tentationum fluctus immobilis perstas. » Quare minus aptus et congruus est sensus, quem afferunt Philo, Justus et Aponius, *q. d.* Si dederit homo omnem substantiam domus sue pauperibus pro dilectione, hoc est, pro eo ut diligeret; si videlicet elemosynam externam preposuerit charitati internæ, malens hæc carere, et illam habere, quasi nil dederit, *despiciet eum Christus iudex, ejusque angeli*: nam, ut docet Apostolus, I *Cor. xiii, 2*, sine charitate nil prodest ad salutem, nec elemosyna, nec martirium.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Christus pro anime salute nullis laboribus v doloribus se superari permittit, sed pro ea mor et crucifigi voluit; viem ergo reddat anima Christo, ut nullis tentationibus, nullis terroribus, nullis promissis, nullis tormentis, nullis voluptatibus ab ejus amore vel hilum abduci se sinat, sed fortis, imo fortior et constanter in omnibus evadat instar asphalti, qui igne non uritur, sed alitur, juxta illud:

Alit unda flammæ, quocumque prohibet magis,
Magis ardet ignis.

Titillet ergo caro, mundus blandiatur, dæmon insidiatur, stet verus Christi amator infractus, nec se illis blanditiis decipiat, nec illis minis docti sinat, sed cum Paulo, *Philipp. iii, 8*, omnia « arbitretur ut stercorea, » eaque despiciat, imo exhorreat. Cecidit Petrus tentatus ab ancilla et Judeis ex metu, ac Christum negavit, *quis necdum perfectam habuit charitatem; ut ubi eam accepit a Spiritu Sancto in Pentecoste, nullas po-*

ænam minas vel penas extimuit, quin Christum saltem animos predicaret, dicens, *Act. v, 29*: « Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. » Audi S. Gregorium: « Charitate quippe martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei et proximi dilectione mirabiliter flagrabant: hæc charitatem aquæ multas extinguere non poterant, quia quantecumque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Hoc nimirum esset charitatem extinguere, si in tribulationibus, quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent; sed cum aqua dictæ sint, quid rursus per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa et vivacitas intelligitur? flumina quippe vivas aquas solere dici cognoscimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipiunt, quæ dum per totum orbem super martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeo charitatis vigor vixit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis extingui permitteret, ideo multi etiam persecutorum ad amicum charitatem se convertebant, ita ut dimitterent quidquid in mundo possidebant, et seipsos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferabant. » Et nonnullis interjectis: « Sed homo omnem substantiam domus sue pro dilectione tribuit, quando quidquid in mundo possidet, pro Christo distribuit, ut abiciens quod impedit, Deum diligit, et terso pulvere sollicitudinum oculos aperiat, ut Deum videat. Et cum omnem substantiam dederit, quasi nihil eam despiciat, quia postquam oculum tersit, et Deum conspexit, in illius visione quidquid possederat, nihil pendit. Hoc apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed etiam cupita, ut Christum sequerentur, dimiserunt. »

Exempla dat Theodoretus Abraham, Isaac, Jacob, Joseph et Moysen: « Abraham charitatem, inquit, erga Deum, nec vite traditio in terra aluit, neque na inopia et fame necessitas, neque contentio potuit extinguere; neque Isaac charitatem molestias, quibus afflictus fuit; neque charitatem Jacob assidui labores et dolores vite. Quid Joseph tentationibus acinis? qui a fratribus venditus est, et parentibus a quibus diligebatur, et majorum suorum privatus est domo, et libertate, et fortunis, et indigne servivit, et pudicitiam præmiun calumniam retulit, et in carcerem conjectus est, et incommoda sustinuit innumerabilia, quibus tamen omnibus charitas ejus erga Deum splenduit illustrator. Atque ut magnum Moysen et Josue imperatorem, et eximios prophetas Samuelem et Davidem et Eliam et Elisæum silentio prætereamus, quid Babylonis immanitas aut truculentius unquam fuit? quid camino ignis ab illis incenso formidabilis? altamen ne ille quidem trium puerorum exstincti charitatem, sed eam magis incendit, atque excelsavit. Quid leonibus illis qui-

bus B. Daniel obiectus est, ævius aut terribilius? at illum quoque charitas erga Deum reddidit fortiozem. » Porro hæc verissima erunt in celo: ibi enim anima vivens divinitatem sponsi sui, ita in illa quasi honorum omnium abyssu absorbebitur, ut omnia cætera nihil ostinet, nec ab ea intuentia et loto corde amanda, vel ad momentum sic avertere possit; adeoque nulla aqua, vel flumina tentationum et adversitatum in eam irruere queant. Describitur ergo hic charitatis summa vis et excellentia, quam obtinebit in celo, ubi non tantum ethice, sed et physice erit invincibilis et inextinguibilis; imo fulgebit et ardebit sicut stelle et sol « in perpetuas eternitates, » *Daniel. xii, 3*; unde אבן כבוב, id est *extinguere*. per geminationem perpe litteræ caph, deducitur כבוב *cobab*, id est *stella*, eo quod nunquam extinguatur, sed perpetua noctu diurne luceat, uti luceat ardetque perpetua beatorum charitas.

Porro, quod Septuaginta vertunt, *si dederit vir omnem vitam suam in dilectione, contemptu contemnet eum*: Theodoretus contrarie sic explicat, *q. d.* Qui victum, fortunæ et vitam profuderit pro charitate, eum conlementem et ridebit, velat imprudentem, illi qui charitate sumi vacui, nec ejus dignitatem et pretium cognoscunt. Et S. Ambrosius, serm. 21 in *Psalm. cxviii*, serm. 5: « Quoties, ait, benefacta crimini dantur, quoties virtus opprobrio ducitur, quoties ipsa ingrata est gratia. Vendidit justus facultates suas, dispensavit pauperibus, nihil sibi reliquit, contemnitur plerumque in ipsa Ecclesia, quia dives esse desit, sicut scriptum est, *Cantic. viii, 7*: *Si dederit vir omnes facultates suas in charitate, contemptu contemnetur erit.* » Verum genuinum versionis Septuaginta sensus est, ut « eum referatur ad eum, id est victum, non ad hominem; quare idem est sensus Septuaginta et nostri Vulgati, scilicet is quem paulo ante assignavi.

Denique cum triplex sit charitas, *incipiens, proficiens et perfecta*, singulorum horum graduum signa, æque ac actus et officia hic tanguntur, quæ ex S. Augustino, Richardo Victorino, S. Gregorio et aliis ita recenset R. D. Bartholomæus de Martyr. archiep. Bracar. in auro suo doctrinæ spiritualis Compendio, cap. xxiv, pag. 223. *Incipientium* sunt contritio, delectatio in audiendo verbo Domini, præcepta, promptitudo in bonis operibus, tristitia de defectu spirituali proximi concepta, et lætitia de profectu spirituali fratris proveniens. Charitatis *proficientium* signa hæc sunt: *primus*, justa et frequens conscientie examinatio de peccatis venialibus, nam ferventi charitatis obsistunt, at proficiens charitas est, que omnia hæc paleas excurrere suo nititur calore; *secundum* signum, concupiscentiæ temporalium rerum diminutio; *tertium*, diligentia in exercitiis spiritualibus internis, sicut etiam exteriorum sensuum exercitationes vite corporalis signa sunt; *quartum*, studiosa mandatorum Dei observatio; *quintum*, et

Domini se tibi revelet, juxta illud, *Joan. xv, 15*: « Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis; » unde Richardus Victorinus scribit: « Certissimum tibi signum sit, quod dilectum tuum minus diligas, et ab eo minus diligaris, si ad theoreticos excessus vocantem sequi nondum merueris. » Signum vero charitatis perfecta in via hinc sunt: *primum*, quando quis paratus est, si ita necesse sit, pro proximi salute mortem subire, ut inquit S. Augustinus scribens in Epist. S. Joannis; *secundum*, inimicum diligere, et Dei causa illi benefacere, ut docet eodem S. Augustinus; *tertium*, adversa omnia non solum patienter, sed etiam gaudenter suscipere; charitas namque perfecta hominem reddit adeo a sensibus alienum, ut aequè prospera ac adversa contemnat, juxta Gregorij sententiam super illud: « Fortis est ut mors dilectio; » *quartum*, si homo presto sit omnibus propter Christum renuntiare, ut liberius charitatis ardoribus vacare possit, atque omnia preferat Deum veluti stereora reputare videatur; *quintum*, nihil aliud quam Deum solum timere, hoc est, non homines, non penas, non tormenta formidare. Hæc signa externa sunt, et quæ extectus conspici possunt; sunt præter hæc alia quinque interna, *primum*, profunda et infima suspiria mentis, quando memoria dilecti sui tangitur, sunt enim quasi nuntia amoris fervida, donec dilectum videat; *secundum*, sublimia et ardentissima desideria videndi Dominum, ac molestissime ferre vitæ presentis pondus; *tertium*, cogitationes erga omnia temporalia languide, fastidii namque terrena omnia, solis æternis invigilans; *quartum*, tedium quod ex expectatione concipit, nam perfecte amanti mora quælibet longa est, et expectatio onerosa; acerbum enim existimat cruciatum cogitationum, quæ non sint amoris; *quintum*, affectiones ex-staticæ; est autem ex-stasis mentis excessus, nam cum amor non permittat amantem sui juris esse, sed in anatum transformari cogat, ideo saepe producit excessum mentis suspensæ, et in dilecto absorptæ.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo passa est plus quam martyres et exortales ceteri, imo aliquo modo plus quam Christus: nam post mortem Christi, in qua finita est Christi passio, ipsa usque ad ejus resurrectionem in continuis et acerbissimis fuit doloribus, uno per omnem vitam revolvens dolores Christi, sine mire cruciabat. Ad hæc a Judæis in odium Christi nulla peressa est, imo omnes christianorum afflictiones, persecutions, lapsus, ipsa quæ seculum mater compellendo intine sensit, diocæque cum Paulo, II *Corinth. xi, 23*: « Præter illa

quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » Sed hæc omnia ne vel hilum charitatis extinguere poterunt, imo potius eam auxerunt, et quasi flabella accendunt, idque continuo per 23 annos, quibus Christo supervixit: anno enim ætatis 72, finem pascendi æque ac vivendi fecit, ut habet doctorum theologorum et chronologorum sententia. Ipsa pariter dedit omnem substantiam pro charitate Christi, *primo*, quia instar Christi se et omnia sua Deo ex amore dedit, *secundo*, quia Christum suum, qui erat tota ejus substantia, Deo Patri in cruce eum holocaustum obtulit; *tertio*, quia omnes suas facultates Ecclesie dedit et in pauperes distribuit: paupertatem enim professam, cum prioris fidelibus et virginibus in communi vixit, et vitæ religiosam egit, ut dixi *Actor. iv, 32*. Denique omnia jam dicta pro omnibus competant humanitati Christi a verbo assumptæ, ut jam sepius monui: ipsa enim prima et propria est sponsa Verbi, per quam animæ fidelium eidem despondentur; ac proinde ipsa summe amat Verbum, et summe amat a Verbo; nec hunc ejus amorem vincere poterunt flumina tormentorum, quæ in passione et cruce subit.

VOX SPONSE

Adultæ de juniore, hoc est, Ecclesie de Synagoga.

VERS. 8. SOROR NOSTRA PARVA, ET UBERA NON HABET. QUID FACIENS SORORI NOSTRÆ IN DIE QUANDO ALLOQUENDA EST?

SOROR NOSTRA PARVA, ET UBERA NON HABET (quinta Editio, *soror nostra, es parva, et ubera non habes*). QUID FACIENS SORORI NOSTRÆ IN DIE QUANDO ALLOQUENDA EST? — Hebræa et Septuaginta, quando loqueris in ea; Syrus, quando loquendum de illa, ut sponso nupti tradatur; Arabicus, quando loquitur; Pagninus, quando fiet sermo cum ea; contrarie Sanchez, in ea, vel in eam, hoc est, inquit, contra eam, cum scilicet proci adulteri contra eam consilia inlubant, ut eam decipiant et sibi subjiciant; sic et R. Salomon: In die, inquit, quæ gentes consilia agitant de ea delenda; et rabbinus anonymus: Timeo, inquit, ne homines eam despiciant, ut eam creverit, loquantur ad ipsam cor et affectum, despiciantque eam: in hæc sententiam inclinat Rupertus, qui in illo quando alloquenda est, intelligit consilia dura, quibus Nero et alii tyranni Ecclesiam adhuc teneram insectati sunt.

UBERA NON HABET, — scilicet lumentia, sed depressa, nulla enim est femina, que non habeat ubera, sed in pubertate illa exstare, intumescere et lacte turgere incipiunt, ut docet Aristoteles in *Histor. animal.*; unde S. Amrosius, *Psal. cxvii, serm. 22*: « Hoc, ait, solet signum omnibus virginibus esse nuptiarum, ut cum ubera cœperint eminare, tunc conjunctioni intime censentur. » Scimus et, q. d. Suffraganeus noster: sororis nos-

træ parvæ jam sponse lana, aliove tomento, ut eminare videantur, ac sic ipsa mata virgo, dignaque sponso censetur; ita S. Amrosius et Honorius: sic solent sorores adultiores jam nuptæ de sororibus junioribus esse sollicitæ, ut et ipsæ honeste et tempestive nupti dentur.

Cassiodorus, S. Gregorius et alii censent hæc esse verba sponsi: melius Hebræi et Græci, ut Theodoretus, tres Anonymi, Philo et alii censent esse verba sponse adultæ, puta Ecclesie de sponsa novella, puta Synagoga Judæorum convertenda ad Christum in fine mundi, ut disertè docet Aponius, Honorius, Chaldaeus, Hortolanus, Delrio et alii. Audi Chaldaeum: « In illo tempore dicent angeli cœli ad invicem: Gens una est nobis in terra, et merita ejus levia sunt, et reges, et dominatores non habet, ut egrediatur ad pugnam contra exercitum Gog: Quid faciemus sorori nostræ in die, qua locuta fuerit nationes, ut ascendant contra eam ad bellum? » Gog enim erit exercitus Antichristi, ut dixi *Ezech. xxxviii, 2, et xxxix, 11*.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Cassiodorus, Beda, S. Gregorius, Rupertus et alii hæc accipiunt ut verba Christi de primitiva Ecclesia ad patriarchas Veteris Testamenti, quasi congenerentis quod illa tempore apostolorum parva fuerit numero, et predicatoribus destituta, præsertim ante adventum Spiritus Sancti in Pentecoste. Audi S. Gregorium: « Allocutus est Christus sororem suam, quando Spiritum Sanctum super apostolos misit, et eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplices distributione docuit. Sed a quibus hoc querere intelligendus est qui omnia novit, nisi a sanctis Patribus antiquis, quos ad querendum Spiritu Sancto instigavit? » Verum primitiva Ecclesia fuit Ecclesie infantia, de qua actum est cap. I et II usque ad versum 8; hic vero agitur de Ecclesia adulta et perfecta in fine mundi, quæ desponsa Christo ad eum anhelans, mox nuptias cum eo consummatura est in cœlo, ut ostendi initio capituli: hæc enim timens nuptias hæc differendas propter Synagoga Judæorum, necdum satis ad eas paratam, aut certe illam a nuptiis excludendam, consilium poscit quo illa illico ad nuptias hæc paratur, ornatur et perficiatur. Quare melius Aponius, Chaldaeus, Honorius, Hortolanus, Delrio et alii hæc accipiunt, ut verba sponse adultæ congenerentis coram sponso Christo, vel potius coram sodalibus sponsi de sorore sua juniore, id est, Synagoga Judæorum convertenda in fine mundi: hæc enim utpote recens nata vel renata baptismo, parva erit tum numero, tum fide, constantia et virtute, atque ubera predicationis non tam pandet quam suget. Habebit enim paucos predicatorum suæ gentis, si cum doctoribus

Ecclesie gentium conferantur: licet enim Elias et Enoch suo fervore et zelo nonnullos e Judæis sint eodem zelo accensuri, et predicatorum altiorumque quasi Paulos effecturi, ut dixi cap. vii, vers. 6; tamen hi præ reliquis rudioribus et infirmioribus Judæis, adhuc lacte fidei christiana indigentibus, erunt pauci. Loquitur ergo hic in persona Judæorum imperfactorum, utpote numero plurium, eosque vocat sororem parvulam, quæ ubera non habeat, ut recte advertit Guilielmus: sororem, tum quia de semine eodem descendit, de quo Christus secundum carnem, et Ecclesia secundum fidem; tum quia in novissimis diebus ventura est ad hanc gloriam fraternitatis Christi, ait Aponius.

Per diem quando alloquenda est, Honorius intelligit tempus predicationis Enoch et Elise; Aponius vero accipit diem, quo plebs christiana ab Antichristo, vel ejus ministris inflectere colla, in atrocissimæ morti succumbere. Melius accipias diem judicii, quando Christus Judæam eam de fide, merito et premio examinet et alloquetur, sententiamque beate eternitatis profert, ut sibi copuletur in cœlo, et angelorum cœli inseratur. Sponsus ergo est, quasi dicat Ecclesia gentium Christo: Quid fiet de sororcula mea, æque ac tua secundum carnem a te assumptam, puta de Synagoga, id est de Judæis recens per Eliam ad te conversis, qui pauci sunt numero, et in fide christiana adhuc rudes, ac in virtute infirmi, in die quo tradetur vinctus, id est in ultimo judicii die, quando ad normam charitatis, quam quisque possederit, omnia exigentur? q. d. Hæc sunt nos operam dare, ut illam mundo idoneo doctrinæ fidei et operum charitatis instruamus, ne maritus illam tum, ut coelesti conjugio immaturam, repudiatum spernet. Tuum hoc est, qui potes et vis displicere, et eam qualem tunc libi optasti, talem tempestive efficere. Vis ornatam, ornata; vis comptam, come; vis ditem, dita: a tua ergo providentia et beneficentia posco ut illud ipsum ei præstes, jam enim imminet dies judicii, et nuptiarum in cœlo tempus appropinquat: ita Honorius, Anselmus, Aponius et ex iis Delrio. Igitur Ecclesia auditis tantis a sponso charitatis sue laudibus, æque ac documentis, quodque similem a sponsa charitatem posceret, ipsa ibi de ea recte conscia, uti in sequent. ostendit, ideoque de se silens, illico angit, cepit de sua sororcula, scilicet Synagoga Judæorum, quod multi ex eis recens conversi in charitate, æque ac fide esset debiles et infirmi, fignat ergo sponsum ut eos in ea roboret, crescant et adolescere faciat, ut sponsi nuptiis in cœlo mox futuris habiles dignique reddantur.

Deær dramatis tamen magis exigere videtur, ut hæc a sponsa de sorore dicantur non ad sponsum (nec enim ipsa apud sponsum sororem accusasset, quod parva esset nec ubera habens, ideoque ad nuptias inhabilis), sed ad

spensis, puta ad Eliam et Enoch, vel potius eorum discipulos et asseclas (jam enim imminente est iudicii, praeapponantur mortui Elias et Enoch, et occisi ab Antichristo, uti dixi initio scriptis), ut ipsi Iudaeos in fide et charitate perficiant, itaque eos thalamo Christi in oculis dignos vendant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Dicit anima sancta de anima tenera et imperfecta: « Soror nostra parva, et ubera non habet; quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est? » *q. d.* Quomodo eam in virtute et charitate adolere faciemus, ut in die iudicii digna sit alloquio Christi, ut ab eo velut soror et sponsa in consortium coelestis hereditatis et thalami inducatur, ut scilicet Christus quasi frater eam loco sororis habeat, juxta illud, *Rom. VIII, 29*: « Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; » utque ipse velut sponsus cum ea nuptias in caelo celebret, juxta illud, *Apo. XII, 6*: « Audivi quasi vocem turbam magnam, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus preparavit se. »

Unde S. Ambrosius, *serm. 22 in Psal. cxviii, 8*, censet animam sanctam postulare nuptiarum inducias et longius vite tempus, ut eo in virtutibus proficiat, itaque digna Christi nuptiis efficiatur: sic et Philo Carpathius, qui et legens ex Septuaginta, *quid faciemus sorori nostrae in die, quo locuta fuerit in se*, id explicat de examine conscientiae quo anima in seipsa loquens, recogitat omnes actus vite suae. Addit tamen hanc vocem accipi posse ut patriarcharum et apostolorum, animae de tanta felicitate, quod suavissimo nuptiarum cum Christo in caelis colloquio digna sit habita, congratulantium: recte enim allocutio Christi accipi potest illa quo anima sancta in hora mortis, et in die iudicii dicit: « Veni, sponsa, accipe coronam quam tibi preparavi in aeternum. Veni, formosa mea, columba mea, immaculata mea, perfecta mea; intra mecum in gaudium Domini tui. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, Alanus censet haec ab angelis dici de B. Virgine ante Verbi incarnationem, *q. d.* Quid faciemus B. Virgini, cum mox alloquenda a Gabriele legato Christi Filii Dei, audiet ab eo: « Ecce

concepis in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Iesum? » ipsa enim per humilitatem est parva; ipsa quoque ubera, ut fiat mater, non habet, quia votum virginitalis emisit; quare non audebit consentire, nec volent violare votum puritatis. Secundo, apud ad litteram Honorius haec refert ad sollicitudinem B. Virginis pro recens conversa Iudaeorum Synagoga, et per alloquendum accipit praedicationem Eliae, qui erit legatus Christi ad Iudaeos, juxta sensum quem initio assignavi.

VOX SODALIUM

Sponsi, puta discipulorum et asseclarum Eliae.

VERS. 9. SI MURUS EST, EDIFICEMUS SUPER EUM PROPUGNAECLA ARGENTEA: SI OSTIUM EST, COMPINGAMUS ILLUD TABULIS CEDRINIS.

SI MURUS EST, EDIFICEMUS (Vatablus, *edificabimus*) SUPER EUM PROPUGNAECLA ARGENTEA: SI OSTIUM EST, COMPINGAMUS ILLUD TABULIS CEDRINIS. — Septuaginta, *διὰ τὴν ἀνάγκην ἐν ἑσπέρῳ οὐκ ἔστιν ἔργον*, id est *describamus vel sculptemus super illud tabulam cedrinam*; Symmachus, *ἀποκαταστήσομεν*, id est *constringamus, artemus*, et hoc proprie significat *herbareum* *בְּרֵישׁ נַטְסֵר*. Pro *muris* Arabicus vertit, *memo*; pro *propugnacula argentea*, idem vertit, *tabulas vel tabulata argentea*; hebraice est, *propugnaculum argenteum et tabulam cedri*, in singulari: locus est perobscurus, unde tot fere hic sunt explanationes, quot interpretes.

Primo, nonnulli censent haec esse verba procerum, castitati sponsae junioris insidiantium, *q. d.* Si sponsa in castitate constans est ut murus, edificemus contra eam propugnacula argentea, puta pecunia aurea et argentea eam expugnemus: si ipsa est instar ostii, quod facile vertitur et aperitur, polliceamur ei *tabulas cedrinis*, id est levia vestium vel armillarum ornamenta, quibus aditum ad ipsam nobis aperiemus: sunt enim femine philocosmae, multaque, ut corpus elegantibus vestibus ornent, pudicitiam prosolunt.

Secundo, Theodoretus censet haec verba esse chori adolescentularum, docentis que sint officia uxoris probe in regenda familia, scilicet ut instar muri et ostii clausi ea, que in domo sunt tectur, custodiat et claudat, ideoque danda illi esse murorum ornamenta, seu propugnacula argentea, et ostii decora, scilicet tabulas cedrinis.

Terto, Lysius Legionensis censet esse verba sponsi, *q. d.* Decretum mihi est ut tunc temporis cum alloquenda est ipsa soror parva, ejus vilitas naturalia corrigantur arte, et quod illi minus a natura tributum est, suppleatur vestitus, atque ornamentorum exquisito aliquo genere: quomodo si quis vetustos urbis muros reficiens, et turres atque pinnas addat auro illitas, aut egregia aliqua pictura ornatas, aut si quis januas fores vestiat tabulis cedrinis.

Quarto, noster Pineda in *Job* cap. xxiv, vers.

sic exponit, *q. d.* Quamvis sponsa muris ac parietibus cincta et munita sit, tamen speciosissimis egue ac fortissimis propugnaculis munienda quoque domus est, ex quibus tanquam et specula observari abigique possint pudicitiae hostes, et oculi insidiatores atque subessores. Quod si etiam ostium sit, non nisi ex materia durissima et fortissima compingi et confici debet. Ad quas sponsa ipsa pudicissima subinfert et respondet: « Ego murus, » etc., id est, meam pudicitiam non externi isfi parietes, non propugnacula, non custodes custodire sufficiunt, nisi ego ipsa murus essem fortissimus, atque mea pulchritudo adamantina esset et inexpugnabilis.

Quinto,

noster Sanchez censet hic doceri sponsam in fide et officio continendam esse donis et minis: supra, ait, insinuaverat sponsus duobus solere sponsam a fideli conjugio, atque ab officio abduci, scilicet minis et muneribus; nunc docet eisdem debere in fide atque officio contineri, muneribus scilicet et minis. Si *murus* est uxor, id est contra omnes machinas et artes munia, quaeque nulli prebeat ad urbem, id est ad sponsi possessionem ingressum, quem si pulses, non strepit, neque respondet, neque aperitur, neque quemquam admittit nisi disjectus, ornatur tam fortis murus, si fieri posset, argenteis propugnaculis. Si vero *porta* est, quae omnibus pervia, quae facile versatur, et respondet pulsata, et aperitur, id est quae tentari se facile patitur et vincit, claudatur tabulis cedrinis, atque ita claudatur, ut neque venire unquam possit in hominum conspectum, neque liberum spiritum trahere. Huc facit illud vulgo tritum: « Femina aut murus, aut maritus; » et illud Theopompi apud Plutarchum in *Apophth.*, qui ostenso sibi muro, rogatus « an bellus esset et celsus, » respondit: « Minime, si mulierum est, » si videlicet a viris non viris, sed effeminatis et mulierosis defondatur.

Postea et secundo,

Jam, ut quid mihi salvo meliori iudicio videatur, aperiam, dico sponsam juniorem hic, uti et superius saepe, comparari fabricae, puta muro, in quo sit ostium ad ingressum in domum. Murus autem, quia tabulata et tectum turresque sustentat, symbolum est firmitatis, roboris, constantiae et perseverantiae; unde illud Horatii: « hic murus aeneus esto; » et Isaie cap. xxvi, vers. 1: « Urbs fortitudinis nostrae Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale. » Porro sicut in metaphora fabricae, tota domus representat totum hominem, tectum vero caput, fundamenta autem tibias et pedes: sic murus representat pectus, nec enim expansum, et quadratum, costis osseis quasi laterculis saxisque ierustatum, solidatumque, speciem quamdam habet muri, in quo ubera eminent existantque quasi turres et propugnacula. Ita esse liquet ex eo quod mox subjicit sponsa junior, de qua hic agitur: « Ego murus, et ubera mea sicut turris, » *q. d.* Ego habeo pectus fir-

missimum, robustum et immobile instar muri, in quo ubera eminent quasi turres: idem liquet ex querebra praecedenti: « Soror nostra parva, et ubera non habet, » cui hic responderet, dando hoc consilium et remedium: « Si murus est, edificemus super eum propugnacula argentea, » *q. d.* Si sponsa junior pectus habet firmum et solidum instar muri, facile erit super illud edificare propugnacula argentea et pretiosa, qualia ipsa meretur, quae uberum delectum supplant et repraesentent. *Murus* ergo notat hic sponsae pectus, id est animum in fide conjugali firmum et constantem, ut uni sponso adhereret, ceteros omnes excludat. *Ostium* ergo, quod muro hic opponitur, notat pectus exile, subtile, mobile, versatile, puta animum facile mobilem et flexilem: tale enim est ostium, quod facile aperitur, et cuique aditum in domum patefacit, cum murus fortis et durus omnibus sit clausus, oannesque ab ingressu areat et excludat. Id ita esse liquet, primo, ex eo quod sponsa, vers. 10, dicat se esse *muro*, et hoc ipso neget se esse ostium, *q. d.* Ego sum fortis et constans in fide uti murus, non mobilis et vacillans ut ostium; secundo, ex eo quod hic dicitur: « Si ostium est, compingamus, » (hebr. *artemus*,) illud tabulis cedrinis, *q. d.* Si sponsa instar ostii patula est, et omnes venientes admittit, obseremus et claudamus illam tabulis cedrinis, ne cui ad eam pateat aditus, uti fieri solet feminis in Italia et alibi, apud ob sexum fragilem levioris naturae et indolis; unde superius citatum: « Femina aut murus, aut maritus; » nam meretriculae claudi nolunt, sed in platis et ostiis spectandas se exhibent, ut amicos ad se alliciant: ita hebraei, quibus fere aedificatio Honorius, Tilmannus, Genebrardus, Defrio, Gieslerius et alii, licet in explanatione ostii discrepent et evariant.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Omnia haec spectant ad robur charitatis, de quo dixi vers. 6: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus emulatio: » charitas enim est quae sponsae et asseclis patefacit coelum, ut in eo cuique pro gradu et intentione charitatis, quam habet, locum et premium assignabit sponsus. Cum igitur sponsa adulta, puta Ecclesiam gentium, objeisset sodalibus sponsi de sorore juniore, puta de Synagoga Iudaeorum convertenda in fine mundi: « Soror nostra parva, et ubera non habet, » id est plebs Iudaeorum recens conversa adhuc parva est in fide et charitate, nec ubera doctrinae et doctorum habet, quibus alios lactet, ac proinde necum habilis est ad nuptias cum Christo sponso celebrandas in caelo; respondent sodales sponsi, id est discipuli Epha-

et predicatoris Christi: « Si murus est, » id est, esto sit parva et carens uberibus, si tamen instar muri pectus animique habet firmum et resozatum credendi in Christum, illicque adherendi, « edificemus (hebraice, *edificabimus*) super eam propugnacula argentea, » id est instruamus illam eloquiis sacrae Scripturae et doctrinae, pietatisque christianae (nam: « eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum, » *Psalm.* xi, 7): lisque illam quasi propugnaculis armabimus contra omnes Antichristi et Iudeorum in iudaismo permanentium insultus, iisdemque quasi uberibus decorabimus eam, ut alios in christianismo lactare, docere et erudire valeat, itaque se suasque comites in fide et charitate adulescere faciat, ut jam adultae matris sint nuptis Christi in celo brevi fruendis et consummandis. Jam inter hæc propugnacula argentea eloquiorum S. Scripturae præcipua sunt illa quæ de futura in celis glorie magnitudine loquantur: nam, ut recte ait Sanchez, propugnacula murorum corona sunt. Significat ergo sponsæ fidem et constantiam coronandam esse in oculis corona argentea, id est candida et splendida, qualem nunc in oculis desistant beati: huius enim coronæ spes et intuitus sponsam excitat ad incrementa virtutum, et ad heroicis charitatis martyriique actus.

Sin sponsa junior, id est plebs iudaica ad Christum conversa, ostium est, non murus, id est, si ipsa instar ostii pectus animique habet extilem, mobilem et versatilem, ut iudaizantium aures aditumque aperiat, « compingamus illud tabulis cedrinis, » id est, sepiamus et muniamus eam exemplis et conversatione piorum christianorum, qui eam a iudaizantibus custodiant, lisque aditum intercludant, ac piis monitis, æque ac moribus eam in fide et charitate christiana confirmant, ut si ad perfectionem et dignitatem sponsæ non assurgat, mereatur tamen inter adolescentulas numerari, quæ una cum sponsa ad nuptias celestes cum Christo celebrandas ingredientur. Notat mobile neophytorum, præsertim Iudeorum ingentium, qui ad Christum conversi facile ad iudaismum, cui a pæro assueverunt, elabuntur: quare instar ostii sanctorum exemplis velut tabulis cedrinis, id est incorruptibilibus, compingendi et corroborandi sunt, iuxta illud, *Psal.* xci, 13: « Iustus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur: » ita Philo, Honorius et alii. Audi S. Gregorium: « Dicitur Ecclesia ut ostium tabulis cedrinis compingi, quia fidem prædicans popolorum multitudinibus decoratur, et dum populi variis virtutibus asperguntur, ut pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis distinctionibus honestatur. » Idem S. Gregorius per propugnacula argentea accipit miracula, quibus prædicatores rimum fidem adstrunt et propugnant. Et S. Ambrrosius, serm. 22 in *Psalm.* cxviii, vers. 8: « *Edificemus*, inquit, *super eam tabulas cedrinis,*

hoc est, fidelis sublimis bonum odorem: est enim suavis huius materie odor, quam non vermis, non tinea corrumpat. Ideo huius materie usus eligitur tectorum fastigiis elevandis, formandisque litterarum elementis, quibus etas *pæris* ad studium liberalis eruditionis imbutur. Est etiam materia ista sublimis ad gratiam, levis ad omnia, suavis ad odorem, utilis ad instrumentum scientie, habilis ad ministerium cognitionis æternæ. » Hunc esse sensum liquet ex antithesi muri et ostii: cum enim omnes fere Patres et interpretes censeant per murum notari firmitatem, perseverantiam et constantiam sponsæ, necesse est ut per ostium muro contrapositum et oppositum accipiamus ejusdem infirmitatem, mobilitatem et inconstantiam.

Porro de Iudeis in fine mundi convertendis hic agi patet ex acrolithis dramatis, cuius hic est ultimus actus, imo ultima scena; idque disertè docet Honorius, et alii initio capituli citati. Iluc accedit versio Chaldaei: « Dicit Michael (hic enim princeps est Ecclesie et Synagoga) princeps Israel: Si ipsa steterit sicut fundamentum inter populos, et dederit argentum, ut possideat veritatem nominis Dominatoris sæculi, erimus ego et vos cum scribis eorum circumdantet eam sicut ordines argentei, et non habebunt potestatem populi, ut dominentur in eam, sicut non est potestas vermi ut dominetur argento; et quamvis sit egena præceptis, queremus misericordiam propter eam coram Domino, et recordabitur ejus propter meritum legis, in qua laborant pauci, quæ scripta est in tabulis cordis, et stat contra gentes sicut cedrus. »

Salomon ergo hic Synagoga facit bipartitam, hoc est, Iudeos in fine mundi convertendos in duas divisit classes: unam, eorum qui majoribus naturæ et gradie dotibus, ac presertim robore et constantia pollebunt, ideoque habiles erunt ut fiant doctores, prædicatores, catechiste, cum in S. Scriptura magis fuerint eruditi: hos significat nomine muri, cui inædificatur propugnacula argentea. Alteram, eorum qui minores habebant dotes et robur, sed tamen ab aliis roborati verbo et exemplo, sociis viam in celum patefacient: hos significat nomine ostii cedro vestiti et decorati.

Jam huic sensui litterali apte, et quasi ex æquo incumbit et respondet tropologia, quam assignat Cassiodorus, Beda, Apollonius, Anselmus, Rupertus et alii, qui per murum et propugnacula argentea accipiunt prædicatores, qui fidem pietatisque concionando propugnant et propagant; per ostium vero et tabulas cedrinis, sacerdotes et fideles simplices, qui piis monitis et moribus aliis viam virtutis pandunt, ostiumque celi aperiunt. Hierolanus per murum accipit sacerdotes, per ostium diaconos et ostiarios. Angelomus per tabulas intelligit latitudinem charitatis, per cedros virtutes sanctorum.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Cap. VIII dicta sunt de Synagoga, adaptata animæ creatæ nomine. Audi Honorium: « Si anima illa murus est, si velit esse stabilis in congregatione, edificemus super eam propugnacula argentea, instruamus eam sententiis sacrae Scripturae eloquentia lucidis, quibus se a tentationibus munit, et alios se a vitio obstinere doceat; si ostium est aliis verbo et exemplo ad conversionem, compingamus illud tabulis cedrinis, id est, ornemus illud nullis Patrum exemplis, ut multis pateat introitus per illud ad vitam. » Insuper Theodoretus de anima sancta sic exponit, *q. d.* « Cum magno regi copulanda sit, et tanquam murus futura domus ipsius, ut curet et custodiat ea quæ intus sint, et tanquam ostium ea quæ recondita fuerint conservet, tanquam super muro quidem edificemus argentea propugnacula, hoc est eloquia ratione splendida. *Psalm.* xi, 7: *Eloquia enim Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terra,* ut in ipsis consistentes hostes sagittis petat, et insidias struens persequatur. Ipsi autem ut ostio tabulas, easque cedrinis, quæ peccati corruptionem suscipere nequeant, imponamus: putredinis enim expers est cedrus. »

Auxesin affert, quod Septuaginta pro compingamus, vertunt describimus vel sculptamus super illud, scilicet ostium, tabulam cedrinam: ostium enim cordis a fidei inscribi et insculpi debet imagine Christi, ut ejus gesta et *pæris* mens illi, velut in tabulis cedrinis, id est incorruptibiliter et indelebiter incidantur, ut ea in cogitationibus, sermonibus et actibus ubique referat et representet, iuxta illud, vers. 6: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Simili phrasi imagines et scripta selenitatis consignanda, cedro digna nuncupantur; unde illud:

El cedro digna locutus.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Omnia jam dicta præ universis competunt uni B. Virgini: unde facile cuivis erit illa ipsi adaptare: habuit enim ipsa pectus virile et forte instar muri, qui quotidie propugnacula argentea eloquiorum S. Scripturae et inspirationum S. Spiritus inædificabat, ut uberibus et lacte doctrinae abundaret, lactaretque apostolos et ceteros fideles. Ipsa quoque est ostium, per quod ad Christum in celum ingredimur, compactum ex tabulis cedrinis, id est ex variis gratiæ et gloriæ incorruptilibus dotibus; hinc ipsa in Litanis vo-

catur et invocatur *janua celi*; et ab Ecclesia in hymno composito a S. Ambrosio:

Intrent ut astro flexiles,
Cæli fenestra facta es.
Tu Regis alii janua,
Et porta lucis fulgida.

Et ab Ezechiele, cap. xlii, vers. 2, de ea ait Dominus: « Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: » quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. » Audi Hieronymum: « B. Virgo ostium est in Ecclesia quæ malignis obsistit spiritibus, ne ad devotos suos intrent et accedant, sicut volunt, et hoc ostium tot tabulis est compactum a SS. Trinitate, ut in ea sunt virtutes et privilegia dignitatum; et hæc tabula cedrinis dicitur, quia impudibiles sunt et odorifera, et per humilitatem in profundum radicate creverunt in immensum. Sane per portam orientalem lucidam et semper clausam Maria significatur apud Ezechielem, quæ alludens dicitur Augustinus sic induit loquentem: Porta facta sum celi, janua facta sum Filii Dei. Illi facta sum janua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per ostia clausa. »

VOX SPONSÆ

Junioris, puta Synagoga.

VERS. 10. EGO MURUS: ET UT ERUNA ME SICUT TURRIS, EX QUO FACTA SUM CORAM EO QUASI PACEM REPERIENS.

EGO MURUS: ET UT ERUNA ME SICUT TURRIS (hebraice, *turres*, in plurali), EX QUO FACTA SUM CORAM EO QUASI PACEM REPERIENS. — Pro *ex quo* hebraice est *tn ax*, id est *tunc*; unde Aquila vertit, *tunc fui coram eo inveniens pacem*; sic et Septuaginta, nisi quod Vaticanus codex habeat, *in oculis eorum*, in plurali; Complutensis tamen Regia alique legunt, *in conspectu ejus*, in singulari, ut habent Hebræa, Vulgata, Pagninus, Vatablus et Syrus: *Tunc*, inquit, *eram in oculis ejus ut inveniens salutem*: Arabicus, *unica pacis, unica salutis*: Noster subintellexit prepositionem *ex*, ut *tunc* sumatur pro *ex tunc*, id est *ex quo*, quod Hebræis est explicat. Porro Vatablus nove vertit, *quo quidem sponsionis visa sum ei satisfacere*; et Solomajor sic explicat. Ex quo responso mirifice animum dilecti mei placavi, plene illi satisfaciens, mihique illum devinxit. Alii, *q. d.* Ego sum murus, habeo ubera instar turrium; id autem ex eo habeo, ex quo tibi, o sponsæ Christe, plene perfectæque copulata sum; Laysius vero Legionensis, *q. d.* Muro et uberibus opus non habeo, nam pro his mea mihi est pulchritudo, qua illa placeo sponso, ut videat ipsi esse murus, ac ubera turrita, cæteraque ornamenta habere. Sunt verba sponsæ junioris, nempe Synagoga Iudeorum in fine mundi convertendæ, quæ cæcidiens timorem sororis adultæ, puta Ecclesie gentium de se, quod esset parva, et sine ubibus,

ac consilium sodalium sponsi, ut si murus sit, edificentur in ea propugnacula argentea, quæ in muro sunt, id quod ubera in pectore; sin ostium sit, compingatur tabulis cedrinis, prolinus utrisque animose respondet, metumque omnem admittit, dicens se ex eo tempore, quo sponso reconciliata, et quasi sponsa copulata fuit, subito exravisse instar muri, atque ubera ab eo accepisse ingentia, non solum instar propugnaculorum, sed et instar turrium, ac proinde se jam habilem ad nuptias sponsi.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Synagoga Judæorum in fine mundi, audiens Eliam et Enoch tanto robore et spiritu concionantes de Christo, ac concionem confirmantes per sanctitatem vite et per stupenda miracula, illico in Christum credet, illicque tanta fide et amore copulabitur, ut multos gentiles superet, ac multos prædicatores producat, qui Christum valida et ardenter instar S. Pauli prædicent. Dicit ergo tunc sorori adultæ, puta episcopis et prælati Ecclesie gentium: Non est quod de me solliciti sitis, nec de mea in Christum fide dubitatis: ego enim agnosces longum meum errorem, eumque damnans, ac certo scias hunc esse Messiam sive Christum, qui a meis patribus indigne crucifixus est, in illum credo, illicque me totam dædo, atque in hæc fide firma sum instar muri, ut facilius sit murum diruere, quam pectoris mei fidem et constantiam infringere; imo in illa instar turrium exstantia habeo ubera doctrine et doctorum, qui ut turres fidem propugnare, et ut ubera juniores et debiliores lactare queant: quare illi brevi in doctrina vitæque christiana ita adolescent, ut nuptiis Christi cœlestibus digni futuri sint. In fine enim mundi Judæi per prædicationem Eliæ et Enoch, ac per efficacem Christi gratiam mutant odium Christum in zelum, ut tam ardenter prædicent et propugnent Christum, quam obstinate eum ante oppugnaverunt, ut fecit S. Paulus: quare majores et doctores inter illos minores et rudiores ita erudiant et perficiunt, ut et ipsi Christum prædicent; et tunc « omnis Israel salvus fiet, » ut ait Apostolus, Rom. xi. 26.

Porro hæc habeo, id est habeo, ait Synagoga, non ex me, sed ex gratia Christi, « ex quo » scilicet « facta sum coram eo quasi pacem reprensens: » cum enim, ex quo Christo sponso meo charissimo reconciliata fui, pacemque ab ipso impetravi, ipsum apud me perpetuo omnipotentem, et doctorem omniscium habeo, ab eodem summas vires oblineo, quibus principes atque potestates, harumque rectores tenebrarum, omnes denique hostes tam visibiles, quam invisibiles ego possim repellere, atque nec intra mœnia condusos, seu civitas munitissima, servare

COMMENTARIA IN CANTICUM CANTICORUM, CAP. VIII.

cives meos: si enim Deus unum Jeremiam prophetam, cap. i. 18, posuit ut columnam terram et murum renouum, quanto magis posuit me, qui jam Ecclesia et sponsa sum Christi, cui ipse promisit os et sapientiam tantam, ut illi nulli possint resistere adversarii, Matth. x. 19: « nam turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit justus, et exaltabitur, » Proverb. xviii. 10; hoc est quod mihi promisit Deus, Zachar. ii. 5: « Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: et in gloria ero in medio ejus, » vide ibi dicta: ita Honorius, tres Anonymi apud Theodoretum, Cosmas Damianus, Delrio et alii. Huc accedit Chaldaeus: « Respondebit, ait, cœtus Israel, et dicit: Ego fortis sum in verbis legis sicut murus, et filii mei robusti sicut turres. Et illo tempore cœtus Israel inveniet misericordiam in oculis Domini sui, et salutabunt eum omnes habitatores terra. » Huc quoque referri possunt Cassiodorus, S. Gregorius, Beda, Justus, Anselmus, Rupertus et alii, qui hæc accipiunt de Ecclesia, que murus dicitur ob firmitatem: fundatus enim est in petra, id est in Christo, et constructus est ex vivis et electis lapidibus; nam Synagoga in fine mundi convertenda fiet Ecclesia Christi.

Porro pro pacem hebraice est *שלום* *salom*, a qua voce sponsus dicitur est Salomon, id est pacificus, sponsa vero Synagoga dicitur est Sulamitis, id est pacifica, q. d. Ex quo verus Salomon, id est Christus, qui pacem et cœlo inter Deum et homines detulit, que Moysi et legi veteri mordicus adherens eram ejus jurata hostis, dignatus est per gratiam ad se vocare, sibi que reconciliare, imo Sulamitem, id est Ecclesiam suam sponsam efficere, illico in tantam fidei et charitatis robur et celsitudinem exerevit, ut quasi sponsa sponso, si non par, certe super esse videar. Unde Arabicus vertit, *unica pacis, unica salutis*: quare quasi hic, ut alibi, non similitudinem, sed veritatem denotat, q. d. *Facta sum, quasi*, id est vere pacem reprensens, vel facta sum sicut illa que pacem reperiet: ita Theodoretus: « Cum me, ait, præservierit et prædestinaverit, quod pacem queram et persequar eam, et persequens comprehendam, me tum pacem appellavit, tum Sulamitem, et murum fecit inexpugnabilem, hostibus formidandum, atque ubera mea, id est, doctrinam moralem et theologiam in sublime extulit, et quasi turrem constituit, ut ex eo pugnans sponsi hostes repellam. »

Anagogice Honorius: « Ecclesia, inquit, videtur de vivis lapidibus et murum in habitaculum veri Dei edificari, et turrem angelicam cœlestis Jerusalem per se reparari, canit exsultans, Cantica. vii. 10: *Ego murus, et ubera mea sicut turris, q. d. Ego sum constructa per opificem Christum, de electis hominibus, murus de lapidibus in ambitum Jerusalem cœlestis, ut murus in circuitum civitatis; et ubera mea, id est doctores, qui mihi*

hæc doctrine præberunt, sicut turres erecti sunt pro angelis, qui inde ceciderunt, et ita cepit edificari ut civitas per doctos opifices, apostolos, et eorum successores ex illo tempore, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reprensens, » ex quo scilicet in Christum, qui vera est pax, credidi.

Symbolice Apocalyp. per murum accipit humanitatem Christi, per ubera et turres apostolos: « Quia, inquit, sicut per eos nutrit, ita per eos defendit Ecclesia civitatem; qui ut turris murum, ita doctrinam Christi ornare probantur; securus ergo in his turribus divinæ scientiæ armis circumdatus consistit, qui in eorum fide immobilis permanet: nam sicut turris portatur a muris et intra turres arma posita, ita per fidem a Christo sustentantur apostoli, et per apostolos fidelium turra, in quibus vite et recte fidei arma sunt collocata, que qui indesinenter tenet, vincit; qui dimiserit, vincitur. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta est murus per firmitatem virtutis, et turris per celsitudinem orationis, in qua consequitur ubera mystica, et haurit a Deo hæc doctrinæ et spiritus, quod in alios effundat; ibi denique plenam conscientie pacem et lætitiæ consequitur: ita Philo Carpathiorum episcopus: « Ego, inquit, jam fide munita sum et charitate referta, et ubera mea, mea inquam (mihi enim donata, et omnibus faciendis ea), hoc est, duo Testamenta et duo præcepta charitatis, itemque duplex vite genus (activum scilicet, et quod contemplationis est proprium) justitiæ officii comprobata; que quidem divina gratia duce ad altissimum probitatis gradum, me turris instar elevaverunt; ibique jam aliena prorsus esse ceppi ab omni rerum humanarum sollicitudine, perturbatione ac cura, et requievit. Unde sequitur: *Ego sedebam in oculis ejus tanquam ea que pacem invenit*: recte jam sedere se et conquirere in oculis sponse gaudet, postquam divinæ gratiæ manus accepit et pacem, dicente sponso, Joan. xiv. 27: *Pacem meam do vobis. Pacem relinquo vobis, non quemodo mundus dat, ego do vobis.* Animadvertendum est, quod tempore imperfecto utitur cum dicit *sedebam*, ut ostenderet nunquam nos hic posse perfecte quiescere. Non enim habemus hæc mansuetam civitatem, sed futuram inquirimus, uti Paulus ait, Hebr. xiii. 14.

Porro virginibus hæc tribuit S. Hieronymus, epist. 7 ad Lotam: Virgo, inquit, cum aliquis ostium pulsaverit, dicat: « Ego murus et ubera mea turris; » et S. Ambrosius, lib. 1 De Virgine: « Facessat, ait, sacris virginibus metus, quibus tanta prelia dedit primum Ecclesia, que teneræ proli sollicita successu, ipsa quasi murus abundantibus in modum turrium increvit uberibus,

dones soluto obsidione hostis mœnstr, præcipua valide juventuti materiam præsidiis virtutis acquirat; unde et Propheta ait, Psalm. cxxvi. 1: *Est pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* » Porro in fine mundi erunt 144 millia virginum, qui se usque ad mortem Antichristi impunitati et libidini opponunt, ut patet Apoc. xiv. 1 et sequent.

Denique Honorius hæc applicat religiosis: « Anima, ait, doctrinis prælatorum et lapidibus opificum edificata, et exemplis Patrum ornata clamat secularibus: Vos qui in sæculi negotiis laboratis, in eo exemplo quasi per ostium in spirituali vite requiem intrate, quia ego prius vobis similis in peccatis labilis, facta sum ut murus in spiritualibus stabilis, et ubera mea, id est doctrina vite mea, ut turris inexpugnabilis, ex quo facta sum, coram eo quasi pacem reprensens, id est ex quo me de tumultu sæculi contuli ad quietem claustralem: nam quasi in fremitu bellorum desudat, qui inter adversa mundi et carnis illecebras laborat, sed quasi pacem coram Deo reperit, dum in spirituali vite requiescit, quam pacem plenam habebit, quando nullam pugnam inter carnem et spiritum sentiens, æterna pax gaudebit. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Quæ dixi de B. Virgine versus præcedenti, hic repete: ipsa enim instar muri roborabit Judæos ad Christum conversos in fine mundi, ac uberibus suis gratiæ, et doctrinæ prædicatorem, quos eis submittet, lactabit, atque velut turris eosdem propugnabit, tanquam gentem suam, olim in patribus Deo dilectam, ex qua tam ipsa, quam Christus carnem assumpsit, idque facit ex eo, quod ipsa pacem, id est veniam et gratiam eius apud filium impetravit, illosque et reconciliavit tanquam vera Sulamitis, ac mediatrix ac pacificatrix Dei et Synagoge, quam enim ipsa Deo pariet, eandem alere, fovere, provehere et periculis sataget: hoc enim exigit materiam in filios amor. Quomodo B. Virgo sit turris dixi, cap. iv, vers. 4; de ejus pietatis uberibus dixi cap. i, vers. 4, et cap. iv, vers. 5.

Porro Guillelmus sic B. Virginem dulciter et pie loquentem inducit: « Denique mox ut ex carne mea Verbum caro factum est, inveni et sensi me habere in utero de Spiritu Sancto, et reperi in utero meo quasi pacem, nondum quidem pacem, sed jam quasi pacem, id est hostium pacis, cujus immacolato hostie plena pax, etc. Porro ex quo sensi me in utero habere de Spiritu Sancto, procul dubio tanto excellentiæ, tante potentie, tantæque clementiæ facta sum, ut omnibus ad me confugiendis non tantum murum sim ad munidandum, sed et mater ad nutriendum.

et tauri mater, cujus ubera sunt sicut turris, id est cujus materna pietas non tantum parvulos nutrit, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt et minus apti ad prelium hostibus inaccessibiles facit, cum creverint fiducialiter processuros in campum, non tantam carnem et sanguinem, sed et spiritualia nequibus in celestibus provocatores ad prelium.

VOX SPONSÆ.

Adulæ, puta Ecclesiæ.

VERS. 11 et 12. VINEA FUIT PACIFICUS IN EA, QUÆ HABET POPULOS: TRADIDIT EAM CUSTODIBUS, VIR AFFERT PRO FRUCTU EJUS MILLE ARGENTEOS. VINEA MEA CORAM ME EST. MILLE TUI PACIFICI, ET DUCENTI IHS, QUI CUSTODIUNT FRUCTUS EJUS.

VINEA FUIT PACIFICUS IN EA, QUÆ HABET POPULOS: TRADIDIT EAM CUSTODIBUS, VIR AFFERT PRO FRUCTU EJUS MILLE ARGENTEOS. — Hebræa, vinea fuit Salomoni in Baal Hamon: « Hamon » est nomen proprium ubi in tribu Nephthali site inter mare Galilee et mare Phœnicie, quæ data fuit Levitis, I Paralip. VI, 73, ita dicitur a frequentia populi et civium: nam « Baal Hamon » hebræice idem est quod habens vel possidens populum; unde Noster verit, in ea quæ habet populos; Symmachus, in retentione turba; Aquila, in habente multitudinem; Septuaginta vero retinet ut nomen proprium, vinea, inquit, facta est Salomoni in Bealamon; Syrus vero refert ad multitudinem non populi, sed fructuum: Vineæ, inquit, fuit Salomoni, et fructus ejus multus: Baalamon enim erat locus fertilis, Mirum est quod Arabicus vertat, Salomon factus est vinea in Baalamon, nisi sio explices, q. d. Salomon tam copiosus habebat vineas, in eisque excolendis erat tam assiduus et frequens, ut ipse in eas quasi transmutatus dici possit. Videtur ergo Salomon vere habuisse vineam copiosam in Baal Hamon. Porro multa nomina locorum et urbium ornatus causa prepositum habent nomen Baal, ut Baal Pharsim, Baal Moon, Baal Salisa, Baal Hasor, Baal Sephon, etc., sive quod olim Baal, id est Bel vel Belus, Iar et deus tutelaris in is. cultus fuerit; sive quod Baal idem sit quod habens, possidens, sive aliis de causis. Noster Sanchez asserit Baal Hamon esse Engaddi, palmis et balsamis abundans sed nullo auctore hic probat.

Baal Hamon quædam civitas.

Vinea Jerusalemis.

Chaldeen vero suo ad Judeos hæc refert; unde per vineam accipit Jerusalem et Judeam, cujus rex fuit Salomon, et post eum rex Juda fuit Roboam, rex Jeceem tribuum fuit Jeroboam: « Gens una, inquit, attendit in sortem Dominatoris sæculi apud quem est pax, quæ comparata est vineæ. Collocavit eam in Jerusalem, tradiditque eam in manum regum domus David, ut custodirent eam, sicut agricola custodit vineam suam. Postquam autem mortuus est Salomon, rex Israel, remansit in manu Roboam filii ejus, et

venit Jeroboam filius Nabath, et divisit cum eo regnum, et tulit de manu ejus decem tribus, juxta verbum oris Achie Silonite, qui erat vir magnus. Quando audivit Salomon rex Israel prophetiam Achie Silonite, quævisit occidere eum; et fugit Achia a facie Salomonis, et abiit in Egyptum: et in illo tempore dictum est in prophetia Salomoni regi, quod dominaretur decem tribubus omnibus diebus suis, et post mortem eam dominaretur vic Jeroboam filius Nabath: et duodecim tribubus, videlicet Juda et Benjamin, dominaretur Roboam filius Salomonis.

Vinearum in Canticis crebra est mentio, quia Canticum scriptum est more bucolico; unde Salomon hic inducitur ut vititor, pastor et agricola: quare a vineis incipit, ita et in vineis desinit; nam cap. I statim sponsa, sed adhuc junior, in experta et debilis ait: « Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi; » hic vero jam adulta, sapiens et valida ait: « Vineæ fuit pacificus in ea, quæ habet populos. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS, De Christo et Ecclesia.

VINEA FUIT PACIFICUS IN EA, QUÆ HABET POPULOS: TRADIDIT EAM CUSTODIBUS, VIR AFFERT PRO FRUCTU EJUS MILLE ARGENTEOS. — Est vox sponsæ adultæ, puta Ecclesiæ gentium, quæ audita voce sponse junioris sororis suæ, puta Synagoga Judeorum asserentis se esse murum, et habere ubera instar turrium, concludit per parabolum vineæ fertilissime et præstantissime tam de se, quam de sorore sua, quod jam copiosus et completus sit fidelium et electorum tam gentium, quam Judeorum numerus, ideoque tempus esse, ut nuptias cum Christo in cælo consummet, quod utraq; virice optat, et tacite postulat. Vineam esse Ecclesiam tam gentium quam Judeorum, patet ex parabola Isaie, cap. v, vers. 1: « Vineæ, inquit, facta est dilecto meo in cornu filio olei; » et Christi, Matth. cap. xxi, vers. 33: « Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, » etc.; igitur vinea hoc loco tam est Synagoga Judeorum in fine mundi convertenda, quam Ecclesia gentium jam pridem conversa, sed in fine mundi et populi et virtutibus mire florens, ac numeris omnibus absoluta et perfecta, ideoque bis repetitur nomen vineæ: unde nonnulli valde apposite per primam vineam, vers. 11, intelligunt Synagoga, per secundam, vers. 12. Ecclesiam: utraq; enim vinea erit paræ vis sumis fertilitatis, ac plurimos sanctos Christo profert, sed Ecclesia utpote multo major copiosiora et numerosiora dabit multitudinem sanctorum: quocirca per vineam hic Synagoga accipitur S. Gregorius, Apollinis, Chaldaeus; Ecclesiam vero Cassiodorus, Philo, Justus, Beda, Anselmus et S. Ambrosius.

Psalm. cxviii, serm. 22, vers. 8, qui per ca-

Vinea Ecclesia gentium et Judeorum.

Vinea Ecclesia gentium et Judeorum.

Cedes accipiunt pastores et doctores, vel etiam angelos custodes, uti censent Cassiodorus et Beda, et custodes duntur, non colunt, quia colonus proprie est Christus.

Applicentur ergo singula primo Synagoga, deinde Ecclesie. Sensus est, q. d. Sicut olim Salomoni regi fuit insignis vinea in Baal Hamon, tum litteralis, pendens et rancie mille argenteos; tum mystica, puta Synagoga legis veteris, amplum magnique pretii petatis, Deique cultus fructum profertens: sic Christo, qui verus est Salomon, id est pacificus et pacificus Deum ac homines, in fine mundi erit vinea in Baal Hamon, id est in Judea, quæ tum abundabit fidelium populis et virtutibus, eritque perfecta magno sanctorum et electorum numero; unde S. Joannes vidit ex singulis Israelis tribubus duodecim millia signatorum, Apocal. vii, 4; tunc ergo Sulamitis, id est Synagoga, digna erit quæ sponso Salomoni in cælo copuletur, ac vino gloriæ, quod protulit ipsa quasi vinea, inebrietur. Hanc vineam Salomon, id est Christus, tradidit, id est tradet custodibus, id est prelati, doctoribus et predicatoribus, qui eam in fide et pietate excolant et custodiant. Vir, id est quisque custodum, qui scilicet annue eam custodit, puta pontifex pro fructu ejus annua pensione affert mille argenteos, id est maximum et plerimum (millenarius enim symbolum est summe magnitudinis et perfectionis) virtutum et sanctorum numerum, pretiumque offerret Christo, puta multa magna herolæque opera SS. martyrum, virginum, religiosorum, clericorum, presulum, conjugum.

Baal Hamon quædam civitas.

Simili modo Christi vinea est Ecclesia gentium in Baal Hamon, id est in multitudine populorum; complectitur enim omnes nationes, quæ sub cælo sunt, atque in fine mundi plurimis abundabit sanctis et alectis martyribus, virginibus, confessoribus, iisque perfectorum, tum fidelium sanctorumque numero, tum charitatis, omniumque virtutum, honorum operum et meritum copia et perfectione, ut illi jam omnino digni sint qui, instar utrumque maturarum et vini ex illis expressi, in cæleste convivium nuptiarum Christi inferantur. Hoc est quod ait Joannes, Apocal. vii, 9: « Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu agni, amici stolis albis, et palmae in manibus eorum: et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et agno. » Ita Guilielmus, qui et rationem offert, quia, inquit, Ecclesia gentium multos habet populos, cum Synagoga tum duntaxat habeat, scilicet judæicum; et quia Christus pro Ecclesia potius utpote tam numerosa, quam pro Synagoga e cælo descendit, mortemque et crucem subit; et quia Ecclesia longe majorem fructum numerumque sanctorum, martyrum, virginum et confessorum Christo protulit

et profert, quam Synagoga, quæ tot sæculis ob perfidiam repudiata a Christo in fine mundi duntaxat et rursum associabitur: ita S. Ambrosius loco jam citato. Addunt idem et alii, Ecclesiam factam esse vineam Christi in Baal Hamon, id est in multitudine populorum in Pentecoste, cum Parthi, Medi, Elamite, etc., audierunt apostolos loquentes suis linguis magna Dei Verum tunc cepit Ecclesia, quæ deinde per omnes populos propagata, plane perficitur in fine mundi; unde Lyranus per virum accipit Constantinum imperatorem, qui, inquit, pro Ecclesia propaganda, et uberi ejus fructu colligendo mille argenteos, hoc est innumeras fecit expensas: nam alii imperatores, tanquam pueri qui præ uno crepudio mille aureos contemnunt, immensas opes pro emendis suis voluptatibus effundebant; at vero Constantinus tanquam vir, qui non nisi magis meritis magnam pretium appendit, ingentes sui imperii thesauros pro thesauro regni celestis comparando liberaliter suppeditabat: hæc Lyranus.

Porro valde apposite, ut dixi, per vineam priorem vers. 11 accipias Synagoga, per vineam vero posteriorem vers. 12 Ecclesiam, quæ hic inducitur loqui, et responderet Synagoga, cujus hæc fuit vox: « Ex quo tui coram ipso pacem reperiens: » ad hanc enim alludens Ecclesia respondet, q. d. Recte, o Synagoga soror, id dixisti: quia Salomon, id est Christus rex pacificus te aque ac me plantavit ut vineam pacis, id est fertilissimam, delicatissimam et præstantissimam, quæ fructas suavissimos omnis virtutis, omnis gaudii, omnis gloriæ, omnisque boni abundantissime produceret; qui proinde mille argenteis aestimantur, id est summi et maximi sunt pretii, pax enim apud Hebræos omnium deliciarum, omniumque honorum copiam et abundantiam significat: hanc enim apud homines affert pax, aufert bellum.

Congruè addit hanc vineam esse in Baal Hamon, quia Hamon erat urbs sacerdotalis: data enim fuit sacerdotibus Aaronicis ad incolendum, qui cæteras urbes per intervalla exhiberet, ut ubique populùm Dei legem cultumque docerent, q. d. Simili modo Synagoga in fine mundi dabit multos sanctos, doctoresque sacerdotes Christo, qui plebem in christiana fide pietateque erudient et perficient; hi scilicet erunt ubera, de quibus ipsa, vers. 10, dixit: « Ubera mea sicut turris. » Deinde Ecclesia de seipsa subdit:

Baal Hamon quædam civitas.

VINEA MEA CORAM ME EST. MILLE TUI PACIFICI, ET DUCENTI IHS, QUI CUSTODIUNT FRUCTUS EJUS.

VINEA MEA CORAM ME EST, — id est, ut Vatablus, vinea mea, quæ ad me attinet, mihi cura est, quasi dicat: Tu, o Synagoga soror, vineam tuam habes Judeam, at ego vineam habeo totum orbem reliquum, puta omnes gentes, quas in fide et virtute christiana per meos prelatos, pastores et predicatorum assidue excolo: quare opus est,

Vinea mea co-

ut tam amplam vineam semper præ oculis habeam, ac magna sedulitate et labore pastinem, putem, vindemiam, etc., uti feci, et facio: quocirca illa jam tot annis et sæculis a me sic ex-culta, quotannis ex fructibus Salomoni hero (puta Christo) reddit mille argenteos, id est maximum præmium; custodibus vero eam excolentibus insuper pro labore reddit ducentos argenteos: argenteus intelligitur sicus, qui quatuor argenti drachmas, hoc est quatuor julios italicos, sive quatuor regales hispanicos, hoc est, florennum brabantium, sive belgicum continet.

Porro Philo, Cassiodorus, Rupertus, S. Gregorius et S. Ambrosius censent hæc verba: *Vinea mea coram me est*, etc., esse verba sponsi Christi, qui sponsæ respondet, q. d. ait Cassiodorus: « Tu dicis, quia Ecclesiam vineam meam tradidi custodibus; atamen ego semper curam illius habeo. Noli dubia esse pro æterna mercede, quandoquidem tibi paratus est fructus retributionis æternæ: mille enim tui, id est omnia illa, quæ pro me reliquisti, pacifici (in recto) id est proficui tibi sunt: porro his, qui custodiunt fructus vineæ meæ, parati sunt ducenti, itam pacifici, id est dupliciter fructus redditis est proficuis, quatenus juxta apostoli dictum, 1 *Timoth. v. 15*, presbyteri duplici honore sunt digni, maxime qui præsumunt et laborant in verbo. » Hæc sententia et expositio probabilis est, sed probabilior prior, scilicet, hæc esse verba sponsæ, juxta sensum paulo ante recensitum; nam sequitur: « Mille tui pacifici; » hebraice, est, a Salomon, id est, o Christe, quæ esse verba sponsæ ad sponsum, nemo dubitat.

MILLE TUI PACIFICI, ET DUCENTI HIS, QUI CUSTODIUNT FRUCTUS EUS. — Pro pacifici hebraice est, o Salomon; unde Complutenses legunt pacifice, in vocativo; tui ergo pacifici, idem est quod tui, o pacifice, o Salomon, unde Arabicus vertit, multa millia Salomonis; Septuaginta, mille Salomoni; hinc patet a pacifici non esse nominativum pluralem, ut censent Honorius, Cassiodorus, Guilielmus, Rupertus et alii, sed esse genitivum singularem, ac denotare Salomonem, ejusque antitypum Christum. Sensus est, q. d. Sicut tua vinea Judæorum, o Synagoga, Salomoni, id est Christo sponso offert mille argenteos, id est maximum, maximisque pretii fructum charitatis, virtutum et honorum operum: sic idem prorsus facit mea vinea gentium, licet enim gentes, utpote Judæi multo plures, longe plures quam Judæi prestant heroicarum virtutum fructus, ac majorem sanctorum martyrum, ejusque antitypum Christum numerum; tamen, ad vitandam sororis Synagoge emulationem et zelotypiam, dicitur tantundem quantum ipsa afferre, scilicet mille argenteos, id est maximi pretii fructus; sed proportionaliter juxta numerum cujusque, Ecclesia enim gentium, quia numerosior, utique numerosiorem dat, dabique in fine mundi sanctorum proventum, quam Synagoga Judæorum.

Ait ergo mille tui pacifici, id est mille tibi, o pacifice, o Salomon, id est o Christe, argenteos, quos ex fructu vineæ colligi, offero et reddo, quia Christi est omnis Ecclesia, puta fidelium et sanctorum charitas, virtus, perfectio, beatitudo et gloria: omnia enim hæc radiant a sole, calor Christi, sicut rivus a fonte, radius a sole, calor ab igne; Christo ergo debentur mille, id est longe potior et maxima honorum operum dignitas, meritum et præmium; Ecclesie vero et sanctis debentur, danturque ducenti, id est sanctis animæ et corporis, vel charitas Dei et proximi, cui eum præmium in cælo respondet gloria animæ et corporis, per decem præceptorum decalogi observationem in corde et opere centies duplicatam, id est omnimode multiplicatam, et perfectam, nam centum duplicata faciunt ducenta: ita Honorius, et ex eo Delrio, Philo et alii. Rursum, mille tui pacifici, q. d. En, Christe sponso noster, tam Synagoga quam Ecclesia, utraque sponsa tua, affert tibi millenarium, id est universitatem et plenitudinem sanctorum omnium, quasi fructum, quos per gratiam tuam ex gentibus æque ac Judæis colligi: quare completus est jam sanctorum et electorum numerus. Age ergo, huc labori et militiæ nostræ finem impone, duo nos tecum et terra in cælum, et militia ad triumphum, ex agone ad bravium, ut tibi quasi sponso in cælesti thalamo nuptiis beatissimis copuletur: quare utramque hanc vineam tuam et solo in cælum transplantata, homines sanctos angelis junge, atque sponsam tuam tandem in arena hæc generose luctantem, effice triumphantem.

Nota, millenarius est cubus atque quadratura mille denarii, decem enim in se ducta et multiplicata, puta decies decem faciunt centum, decies centum faciunt mille: quare mille notant rei, puta sanctorum hæc universitatem et plenitudinem, ait S. Augustinus, lib. II *De Civit. cap. vii*, et alii passim. Rursum millenarius symbolum est virginitalis, virginitalis enim symbolum et causa est unitas, sive simplex, sive composita, ut componitur in 10, 100 et 1000, qui est millenarius; matrimonium autem symbolum est dualitas, juxta illud *Ephes. v. 31*: « Erunt duo in carne una, » sive simplex, sive composita, ut componitur in 20 et 200. Quia ergo Ecclesia Christi sponsa, et virgo et conjux est, idcirco argentei ejus mille sunt, quia virgo; et ducenti quia conjux, ait Petrus Bongus *De Num. mystic. in 200*, quæ ipse mutatus est ex Ruperto hoc loco, qui et aliam rationem addit: « Unitas, inquit, virgo, quia semel unus, tantum est unus: quod alteri numero nulli contingit, nam his duo sunt quatuor, ter tria novem, atque ita deinceps. Nuptias centenus binarius (ducenti) designat, quia hoc felicissime indissolubili vinculo ducto copulata est. »

Porro Christo proprie competit millenarius, ait Delrio Bongus, in 100, juxta illud: « Mille tui, o pacifi-

ficæ, » Christo, inquam, qui est pax sibi ipsi, et omnia, teste S. Paulo, *Colos. i*, pacificavit in cælo et in terra, et cujus officium est perducere ad hunc finem in quo est plenissima et felicissima pax, perfectissimus deputatur millenarius: hic enim jure optimo in eo, quod finis et ultimus est numeri ultimi consummati, vere Christo soli convenit, qui est primus secundum divinitatem, antequam nullus, novissimus autem secundum humanitatem, juxta illud, 1 *Corinth. xv. 45*: « Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem: » millenarius enim omnium numerorum est periodus, hoc est principium et finis, incipimus enim numerare ab unitate et desinimus in mille: sic Christus Deus et homo fons, origo et principium primum est, æque ac finis ultimus omnium honorum, juxta illud quod ipse de se ait: *Apoc. xxi. 6*: « Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, » ita Theodoretus.

Denique millenarius symbolum est consummationis mundi, juxta illud: « Sex millia mundus, » resurrectionis et gloriæ beatorum in cælis æternæ, *Apoc. xx. 5*: Ibi enim sancti Ecclesie libent vium felicitatis æternæ, ac pæce, id est bonorum omnium affluentia perfruuntur: ita S. Gregorius, Cassiodorus, Justus et alii passim.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

« Anima, ait Philo Carpathius, quæ pacem Dominum invenit, et requiem a delictis, fit quasi vinea fructifera Salomonicelesti, qui cuncta beat in cælo et in terra, omniaque quæta, beata, pacifica præstat et servat, modo illi subjecta sint, et morem gerant: nam nec impiis est pax, nec improbis quies, nec superbis tranquillitas, sed mansueti et rectis corde. Hi si sponso student placere, non mundo, non homini, suæ animæ ut vineæ custodes præficiuntur; hoc probat Prophetæ, cum dicit, *Psal. cxviii. 5*: *Portio mea, Domine, dicit, custodire legem tuam*. Talis pro mercede accipit mille argenteos, hoc est totius legis et mandatorum plenitudinem salutarem secum deferri in patriam; et ibi sine fine victurus comedit de fructu manuum suarum. Nihil Deo acceptius, quam benefacere, et bene cæteros docere exemplo ipsius sponsi, qui de talibus dixit, *Joan. xvii. 25*: *Ubi ego sum, ubi sit et minister meus*. » Anima ergo, quæ perfectioni studet, assidue dicit: « Vineam meam coram me est, » ut assidue seipsam inspicat, examinet, corrigat, perficiat, eum vinitor vineam.

Porro Honorius, Cassiodorus et S. Gregorius hæc applicant religiosis, qui omnia bona terrena continent, ut Christo se uniant, et despondeant. Audi S. Gregorium: « Pro fructu vineæ vir mille argenteos offert, quia quisquis viriliter in fide, quam suscepit, se habet, libenti mentis et

perfecte omnia terrena dimittit; ut Christum veraciter habeat: millenarius enim perfectus est numerus; ideo per eum perfectio rei cujuslibet demonstratur. Hos argentes in primitiva Ecclesia illi ferebant, de quibus in Actibus apostolorum scriptum est, *cap. iv, vers. 34*: *Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, vendebant, et afferentes ponebant ad pedes apostolorum pretia eorum, quæ vendebant*. » Horum præmium sunt ducenti argentei, quia tales centuplum recipiant in hac vita, et multo magis centuplum in futura, juxta illud Christi promissum, *Math. xix. 29*: « Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. » Addit S. Anselmus ducentos dari custodibus, quia custodes Ecclesie et animarum duplex præmium Deo offerunt, quatenus se immaculatos servant, et alios lucrantur, ideoque et duplex præmium nanciscuntur. Huc facit illud, *Proverb. x. 20*: « Argenteum electum lingua justi. »

Aliter Theodoretus, qui per vineam accipit animam fidem, per custodes ejus sacerdotes, per mille argenteos Christum, per ducentos vero custodiam quinque sensuum. Audi eum: « Nam numerus millenarius in Christo significat perfectionem, cum sit unitas absoluta, ejusque rationem non solum vi, sed etiam re in se ipso continet: ad unitatem enim incipit, et per unitatem ostenditur, et unitatis effector est: nam unitatis nota mille et myriades indicantur. Numerus vero ducentarius naturæ nostræ in seipsam redactæ per observationem mandatorum significat constitutionem: quippe qui decies repetitur per decem mandata vicenarium continet, ex quater quinque compositum, et propterea naturam nostram, quæ ex materia formaque constat, ostendit. » Sic et tres Anonymi apud Theodoretum, et S. Ambrosius in *Psal. cxviii. serm. 22, vers. 8*, ubi sic legit: *Vitis mea in conspectu meo, mille Salomonis, et ducenti seruantibus fructum*. Alii ducentos referunt ad duplex præmium duplicis vite, scilicet activæ et contemplativæ.

Symbolice, Guilielmus per mille et ducentos accipit SS. angelos, qui celestis sponsi sunt pacifici et familiares, eique in cura Ecclesie cooperantur: nempe pacifici sunt, qui querunt et jugiter rogant quæ ad pacem sunt Jerusalem: nam mille et ducenti faciunt duodecies centum: « Et notandum, inquit, quia duodenarius constat ex quatuor ternariis, et quodazmodo quadrat eis; quadratorum autem est, in quæcumque partem inclinatur, firmiter stare. Itaque duodenarius angelorum, in amore creatricis Trinitatis eorum stabilem insinuat firmitatem. Centenarius vero in litteris sacris solemni ratione perfectionem significat. Cum vero sancti angeli duodecies centum dicuntur, in amore sui Conditionis non tantum firmi, sed et perfecti ostendantur, nempe illi

Anima sancta
est fructu-
lifera.

Et rito
galle-
lia.

Mille 20
quies re-
ligiosus.

Symbolice
est mille
et ducenti
quæ sunt
angelus.

tam firmiter adherent, ut nullo tempore, nullo casu in ejus valeant amore nutare, et tam perfecte alique integre, et nihil quod non ipse et propter ipsum ament, valeant cum ipso amare. »
 Hinc ipse, non satis apte ad litteram, tum quia mille dantur hic Christo, non angelis, *ducenti* vero custodibus vineæ; tam quia *pacifici* non est hic nominativus pluralis, sed genitivus singularis, ipsumque Salomonem, hoc est Christum, denotat, ut patet ex Hebræo, Septuaginta, Syro, Arabico et aliis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Vinea, inquit Honorius in *Sigillo*, est Deipara quam Deus plantavit in Baal Hamon, id est in Jerusalem et Judæa populis abundante, que patria fuit apostolorum, eamque custodibus, id est apostolis commendaavit, ac præsertim S. Joanni meriens in cruce, cum ei diceret, *Joan. XIX, 27*: « Ecce mater tua. »

Rursum et aptius ad litteram, quæcumque dixi initio de Synagoga et Ecclesia, attribue B. Virgini: ipsa enim post Christum utriusque ceu mater *sanctam* habet curam ac singularem providentiam.

VOX SPONSI.

VERS. 13. QUÆ HABITAS IN HORTIS, AMICI AUSCULTANT: FAC ME AUDIRE VOCEM TUAM.

QUÆ HABITAS IN HORTIS (male Honorius legit in *portis*, scilicet vite et mortis, ait ipse) AMICI AUSCULTANT: FAC ME AUDIRE VOCEM TUAM. — Septuaginta, *qui sedisti* (Symmachus, *qui sedetis*) in hortis, amici sunt intendentes voci mee: vocem tuam insinua mihi; Syrus, *custodes* (de quibus sermo præcessit) qui habitant in hortis (adsunt) et auscultant vocem tuam; Arabicus, *sedenti* (masculine) in horto alii auscultant. Videntur Septuaginta, et qui eos sequuntur Syrus et Arabicus, pro יְסֵבֶת *iscebeth*, feminine, id est *que sedes vel habitas*, legisse יְסֵבֶת *iscebeth*, masculine, id est *qui sedisti*, id est *qui sedes*. Est vox sponsi ad sponsam, quam huic denotat *quæ habitas in hortis*, quasi rustica puella, et nympha quæ sylvas et montes colit, quales a poetis vocantur Dryades et Oreades, de quibus Virgihus, *Æneid. I*:

Exeret Diana choras, quam mille secuta,
 Hinc atque hinc glomerantur Oreades:

Unde Servius: « Dryades, ait, nymphe sunt, quæ inter arbores habitant; Hamadryades autem nymphe sunt, quæ cum arboribus nascuntur, et pereunt: » sic sponsa hæc quasi castitatis et sapientie nympha amat rura, agros, vineas et hortos. Alludit ad id quod versu præcedenti sponsa de se dixit: « Vinea mea coram me est, »

vinea enim simul hortus est, quia inter vites rorantur herbe, arbores et plantæ, ut fit in hortis.

Jam *prima*, Aben-Ezra per *amicos* intelligens amatos, sive procos et rivales sponsæ sponsique æmulos, sic exponit, quasi dicat sponsus. Cave, o sponsa, ne publice canas, quia adsunt proci, qui vocem tuam ambiunt; ita ergo modeste et secreto cane, ut ego solus audiam: sat tibi sit, si vox tua in meis auribus sonet, juxta illud, *Isai. cap. IV, 16*: « Secretum meum mihi, secretum meum mihi; » aut, ut Vatablus, *q. d.* Cane palam coram meis æmulis, ut ipsi audiant te cupere me sponsum, non illos, ut ipsi doleant, et de tuis nuptiis desperent. *Secundo*, noster Sanchez per *amicos* accipit testes contractus connubialis, *q. d.* Clara voce, o sponsa, enuntia et profite te vellem tecum inire conjugium, teque non alium quam te cupere sponsum, ut testes id audiant, itaque coram ipsis ratum et solemne celeberrum de more connubium. *Tertio* et optime, per *amicos* accipias sponsi sodales et paranympbos, qui optant sponsam sponso copulari, ejusque hæc de re votum et desiderium, voce expressa audire; postulat ergo sponsa a sponsa, ut vota sua, quæ de nuptiis cum sponso consummandis hæctenus tacite insinuavit, aperte tandem enuntiet coram paranympbis.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Christus hucusque dialogismum et colloquium Synagoge et Ecclesie audivit, illudque ei placuit: quare ab utraque jam in fide et religione christiana unita, unaque Ecclesia offensa, petit ut ultima sua vota et postulata deprimat: se enim eis cupere annuere et satisfacere; *q. d.* ait Hortolanus: O mea suavissima Ecclesia catholica, quæ et ipsa hortus es mihi gratissimus, et omnium meorum Ecclesiarum, ac singulorum electorum velut hortorum meorum satagis. ecce iam diu et sæpe sæpius abs te vocatus venio: adsunt mecum omnes angeli sodales mei, et communes amici nostri. Fare jam, age, quid me vis: quid est, quod teque tuumque spiritum assidue clamare audio: Veni, veni, veni, Domine Iesu: ecce jam veni, sicut olim promisisti, et merces mea mecum est, ut reddam tuique juxta opera sua. Coram sum, quem vocas: opta quod velis. Tu modo loquere: sens enim me tua oratione mirifice delectari: delectantur et ea hi omnes amici nostri, teque loquentem idcirco audire percipiunt. Hi hæctenus preces et vota tua summa cum voluptate auscultaverunt, et ad me bona fide retulere, te mihi Patrique meo de meliore semper nota commendare soliti, et in hoc (ut aliquando monui) Patris mei onestis faciem perpetuo observantes. Porro Ecclesia fixe habitat in hortis, id est assidue versatur in amenitate Scrip-

turarum, in excolendis paradisi jure virentium, pulchre florentium, et suaviter olentium virtutum: ita Rupertus, Honorius et alii. *Amici* sunt angeli: ita Cassiodorus, Theodoretus, Beda, Apollonius, Anselmus, Haymo, Rupertus et alii. Huc facit versio Chaldaea: « Dixit Salomon in fine prophetie suæ: Dicitur: est Dominator seculi cœni Israel in fine dierum: Tu congregatio Israel, que comparata es horto minimo inter nationes, et habitas in domo doctrinæ cum sociis Conalli, et reliquis populis, qui auscultant vocem principis scholæ, et discunt ab ore ejus verba ejus, audire fac legem, vocem sermonum tuorum in tempore, quo tu sedes ad justificandum, et commendandum, et assentior omnibus. »

Symbolice S. Gregorius, Cassiodorus, Beda censent Christum hic cupere audire Ecclesie vocem predicationis (addit Rupertus orationis et precum) ut scilicet hortum fidelium, in quo habitat doctrina S. Scripturæ, etc., excolat: hæc enim voce se æque ac amicos, id est angelos et beatos oblectari.

Minus recte Justus Orgellitanus legit, *quæ habitas in hortis: amice, ausculta, fac me audire vocem tuam*, quasi *quæ habitas in hortis* sit vox sponsi; sequentia vero *amice, ausculta, etc.*, sit vox sponsæ ad sponsum, *q. d.* Fac me, o sponsa, audire vocem tuam jucundissimam, qua ei, qui sancte vixit, in die judicii dicas, *Matth. xv, 21*: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisi fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. » Sic et Theodoretus qui legens eum Septuaginta masculine, *qui habitas in hortis*, sensit hæc omnia esse verba sponsæ ad sponsum, quæ secundum, inquit, Christi adventum sedulo flagitans atque expectans, supplex eum orat, dicitque: « Audire me fac vocem (illam) tuam » optatissimam, *Matth. xxv, 34*: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Tres Anonymi apud Theodoretum legentes eum Septuaginta, *qui habitas in hortis, etc.* censent hæc verba esse sponsæ ad sponsum, quem in hortis sedere dicit: « Horti autem, inquit, divina sunt templa, martyrum monumenta, eorum, qui soli tartam amplexi sunt vitam conventus. In his mille argenteos pro fructu vineæ offerentibus, sponsum asserit habitare, atque illum obsecrat, ut non solum cum angelicis virtutibus colloquatur, sed seipsam quoque voce sua dignam efficiat, neve contemnat se, quæ desiderio sitique ardet, fruenti sermonibus ipsius. »

Hinc accedit S. Ambrosius in *Psalm. cxviii*, serm. 12, vers. 8: « Unde et nos, inquit, si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi at-

que muniti: feramus virtutum flores, gratie suavitate, ut disputantem cum angelis Dominum audire possimus; verum juxta textum Hebræum, Vulgatam versionem, Arabicum et alios, hinc hæc esse verba sponsi ad sponsam, puto ad animam piam, quæ ipsi sedulo in omni virtute per omnem vitam servit, cui proinde in fine vite ad cœlum anhelanti dicit: Age, o dilecta, quæ habitas in hortis, quæ scilicet hortum animæ tuæ æque ac proximorum tuorum assidue omni virtutum genere excolere satagisti; postula quod vis, dabo tibi: scio te cupere dissolvi, et esse cum Christo tuo: age, id ipsum ardentem eloquere, voti te competem efficiam: auscultant amici tui, æque ac mei, scilicet angeli, imo arctis auribus adstant, vocique tuæ intendunt (hoc enim est מַשְׁכִּימִים *maschimim*) quasi ejus sitientissimi, ut eam excipiant et hauriant. Unde Rupertus: « Fac, inquit, me audire vocem tuam, ut lex Domini semper in ore tuo sit, nunc predicando, nunc operando, nunc psallendo: his namque modis libenter audio vocem tuam, et ut amplius sapienter et sollicitè id facias, ecce dico tibi, amici auscultant etiam illi, quos non vides corporalibus oculis, sancti scilicet angeli, juxta illud, *Psalm. cxxxvii, 1*: In conspectu angelorum psallam tibi. »

Porro hinc, ait S. Ambrosius, lib. *De Bono martis*, cap. v: « Hortum illum sibi Plato composuit, quem Jovis hortum alibi, alibi hortum mentis appellavit: Jovem enim et deum, et mentem totius mundi dixit: in hunc introisse animam, quam *Panam* nuncupat, ut se abundantia et divitiis horti repletet, in quo repletus potu jaceret, puram qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro *Canticorum* composuit, eo quod anima Deo adherens in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diversarum virtutum, floresque mundi. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Primo, Guillelmus exponit de Christo per *Cassiodorum* poscente consensum B. Virginis ad Verbi incarnationem, *q. d.* O Virgo, quæ in hortis anime pascris liliis puritatis, audire me fac vocem tuam, quasi dicas. « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » *Luc. I, 38*. Rursum idem Guillelmus exponit de Christo post resurrectionem poscente a matre licentiam et terra abundi, et ascendendi in cœlum, *q. d.* Audire me fac vocem tuam, quæ dicas: « Fuge, dilecte mi: assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum, » ut fugias in cœlum, indeque mihi et apostolis de tuo discessu mestis mittas Spiritum Sanctum.

Secundo, Alanus, *q. d.* Christus: « O mater mea, quæ habitas in hortis, in horto Ecclesie corporaliter, et in horto virtutum germinantium in vitam æternam spiritualiter: in horto qui Chris-

evolare supra mundum. » Et Honorius : « Dilectus, ait, a matris fugit, cum sponsam suam de erumnis mundi ad gaudia cæli ducit. Caprea similitis erit, cum electos a reprobis, ut grana a paleis seliget. Hinnulo similitis erit, cum in sanctis ut hinnulus in umbra requiescet. Tunc vero erit super montes aromatum, quando regnabit super altitudinem angelorum et hominum, in quibus fragrat odor virtutum. Vel ipsa caprea cum hinnulo erit super montes aromatum, quando Ecclesia cum populo fideium possidebit portas inimicorum suorum, scilicet cum hereditabit loca apostatarum angelorum. Ecce quo illud carmen est deductum, quod humanum genus lapsus deduxit ante Dei conspectum. » Porro sicut caprea et hinnuli, qui in montibus aromatum pascentur, ait Sanchez, odorem habent suavissimum, aut ex ore, quod fragrans imbuerunt plante; aut ex villis, qui assidue affricu ad stillantes fructus cum stacte et gutta, quibus delibuti sunt, odorem quoque gratissimum contraxere: sic quoque sponsus in montibus aromatis assiduus, et totus ipse fragrans, purissimos in sponse viscera inspirat anhelitus, qui ipsam, quamcumque in partem sese det, spirare faciunt, quam libavit a sponso, suavissimam animam. Exemplo sit S. Paulus, qui ait, Galat. II, 20 : « Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus : » versabatur enim in cælis assidue cum Christo et angelis, quare non nisi cælum et cælestia spirabat : « Nostra conversatio in cælis est, » ait ipse Philip. II, 20; et Ephes. II, 1 : « Jam non estis hospites et advenæ, sed cives sanctorum, et domestici Dei. »

Symbolice Rupertus et S. Gregorius censent hic animam piam petere ut Deus se abscondat, ac in suam deitatis caliginem et incomprehensibilitatem se recipiat, ne plus alta de eo contemplans eum se comprehendisse arbitretur : audi S. Gregorium, XVII Moral. cap. XV : « Puge, dilecte mi, fuge, ac si diceret: Tu qui ex carne comprehensibilis factus es, ex divinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, et in tempore nobis incomprehensibilis permane. » Rursus Philo : Cum, inquit, tentaris, o anima dilecta, fuge ad montes aromatum, id est ad exempla sanctorum, ut his animata tentationi resistas : tentaris Iliadine, fuge ad arduum castitatis montem Joseph patriarcham, qui in manu heræ se tentantis pallium reliquit, et auferit, tentaris ira, fuge ad mittissimum clementem collem Davidem, qui Sauli scelus persecutionis ignovit, eamque imitare : « Simus ergo, ait, montes aromatum, id est odoramenta virtutum. Insuper in tentatione, presertim voluptatis, gula et luxurie, singulare remedium est fuga, ut fugias omnes carnis illecebras, et mulierum species omnesque peccandi occasiones. Denique S. Ambrosius in Psalm. CXVII, serm. 22, vers. 8, refert hæc ad fugam in persecutione: fugit enim Christus non in se, sed in nobis, suadetque

ut persecutionem fugiendo declinemus: » Propter infirmos, ait S. Ambrosius, fugit, qui tentamenta graviora ferre non possunt, etc.; transeat ad montes aromatum, qui pro martyrio possi odorem beate resurrectionis afferre. Montes aromatum sancti sunt: ad eos confugit Christus, quia fundamenta ejus in montibus sanctis: ad eos igitur confugit, qui sunt ejus stabilia fundamenta; in nobis fugit, in illis fida statione consistit. Mons igitur aromatum Paulus est, qui potest dicere, II Cor. II, 15 : Bonus odor Christi sumus Deo. Mons aromatum David ejus orationis odor ascendebat ad Dominum, et ideo dicebat, Psalm. CXL, 2: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. »

Mystici, sive contemplativi, hæc referunt ad mysticos Christi ad animam accessus et recessus: hi enim fugas assimilantur; unde noster Alvarez de Paz, De Nat. contempl. lib. V, part. II, cap. XII, sic explicat, quasi dicat: « Fuge, dilecte mi, » etc., quandoquidem, o sponse, fugiturus es, et me tuo amore relicurus, oro ut fugias adinstar capreae hinnulique cervorum, qui ita insequentes fugiunt, ut frequenter ad eos se convertant, oculisque inspiciant. Vade, sed redi, ut sicut discessi tuo humilior, et meam infirmitatem agnosco, ita accessu virtutum augmento exalter, et amoris affectu respirem. Tu te similem fecisti aquila.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, Guilielmus hæc accipit de B. Virgine rogante Christum, ut in cælum ascendat, indeque in se et apostolos mittat Spiritum Sanctum; ascendat, inquam, « super montes aromatum, » id est super omnem excellentiam angelorum, qui facti sunt montes aromatum, cum in amore Dei solidari beati meruerunt : « Propter ineffabiles, inquit, quibus perpetuo fruuntur, delicias interse suavitatis, ex contemplatione summe Trinitatis. » Secundo, Rupertus docet in quavis necessitate fidei confugiendum esse ad montes aromatum, id est invocandos esse sanctos quoslibet, sed presertim B. Virginem, que est Virgo virginum, mons montium, et sancta sanctorum : « Levavi, » ait Psalm. CXX, 1, oculos meos in montes, usque veniet auxilium mihi; sed ad te præcipue convertitur, ad te presertim oculos nostros levamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus. Per sanctum uteri tui sacramentum, et illum, qui animam tuam pertransivit, gladium, obline ut videamus ipsam illuminationem montium æternorum, scilicet dilectum, et ex dilecto dilectum, et simul dilectionem amorum, id est Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum, Deum unum, vivum et verum, cujus regnum et imperium permanet in sæculum sæculorum. Amen. »

COMPENDIUM

SIVE

SYNOPSIS SENSUS LITTERALIS

ET

GENUINI CANTICORUM

Sensus litteralis et adequatus Canticorum est, describere conjugium Christi et Ecclesie per humanitatem ab eo assumptam; sensus, partialis, Christi et anime sancte, non cupisibet, sed perfecta; et sensus principalis, Christi et B. Virginis. Primo ergo, describit Ecclesia et anime sancte infantiam, a cap. I usque ad cap. II, vers. 8; secundo, ejus adolescentiam, a cap. II, vers. 8, usque ad cap. III, vers. 8; tertio, ejus viriditatem, a cap. III, vers. 6, usque ad cap. V, vers. 2; quarto, ejus senectam, a cap. V, vers. 2, usque ad cap. VI, vers. 3; quinto, ejus renovationem et glorificationem, vel potius aspirationem ad gloriam, a cap. VI, vers. 3, usque ad finem libri.

PRIMA PARS CANTICI

SIVE

PRIMUS ACTUS DRAMATIS.

HO DESCRIBITUR ECCLESIE ORTUS ET INFANTIA USQUE AD CAP. II, VERS. 8 : HÆC INFANTIA FUIT A CHRISTI ORTU ET PREDICATIONE USQUE AD MISSIONEM SPIRITUS SANCTI IN PENTECOSTE.

CAPUT PRIMUM.

1. OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. — Petit Synagoga osculum incarnationis Verbi, quo scilicet Verbum osculetur humanam naturam eam assumendo, ut in ea patiendo, illam Deo Patri ob peccatum exom reconciliat. Petit animæ sanctæ osculum perfectionis, charitatis et unionis cum Deo. Petit B. Virgo osculum Spiritus Sancti, ut fiat mater Christi.

QUA MELIORA SUNT UBERA TUA VINO. — Ubera vocat papillas, nec enim viri habent mammas, ut feminæ; ex papillis autem virorum subinde lac exprimi docet Galenus et Aristoteles, lib. I Histor. animal. cap. XII, et lib. III, cap. XX; ubera significant dulcissimam lactandi facultatem et vim, Christus enim sua doctrina et gratia quasi duobus uberibus lactat fideles. Nota et quia, hæc min vox dat causam cur sponsa ambiat osculum sponsi, q. d. Quia dulcedinem tuorum uberum, id est tuæ doctrinæ, gratiæ et consolationis ges-

* Quia symbolica Canticorum obscuritas, et continuum quasi benigna prolixiorum me esse compulsi, ut valde occupatis hæc omnia legere non liceat, aliis etiam non

tavi, hinc aspiro ad tuum osculum, ut ex ejus halitu spiritum et animam, a qua omnis dulcedo promanat, in vino ipso fonte hauriam. Hæc ubera meliora sunt vino voluptatum sæculi, æque ac vino, id est austeritate legis mosaicæ.

2. FRAGRANTIA UNGUENTIS OPTIMIS, — puta charismatibus Spiritus Sancti præstantissimis. Externa Christi ubera sunt apostoli et evangelicæ. OLEUM EFFUSUM NOMEN TUUM. — Oleum hic ponitur pro unguento et quovis liquore odorato, qualis est balsami, q. d. Nomen Jesu, id est Salvatore, tibi, o Christe, proprium, effusum in incarnatione, circumcissione et cruce fragrat instar balsami. Nomen sumitur pro re nominata, q. d. Tu, o Jesu, effundens tuum sanguinem et vitam pro nobis ex mere amore, redolis suavissimè ita Origenes, Theodoretus, S. Gregorius, Haymo et alii.

IDEO ADOLESCENTULÆ (hæc odore tui amoris at-
hibet, subjiçio breve dictorum summarium, quod totius Cantici harmoniam quasi in lectu oculi menti representet.